

Exorbitatio Prima.

Interpretem esse, qui cum intelligentia Scripturam legit.

I.

Nam primò, qui agnoscit & docet, verba non esse componenda ad hujus vel illius ingenium, quorum non est usum alicujus linguæ formare, sed secundum communem consuetudinem p. 172. 173. ipse hanc consuetudinem, in tam gravi controversia, negligit, & videtur, suo arbitrio, ut Dictator aliquis vel Nomenclator, usum Latinæ & aliarum linguarum formare velle. Et qui usum loquendi facit Interpretem Scripturæ, usum Interpretem non sequitur, in significatione explicatione & descriptione ipsius Interpretis & Interpretationis. Nam interpretari ipsi est verborum sensum elicere p. 72. statuere hanc orationem hunc sensum, ex voluntate scribentis, quam ex orationis usu cognoscimus, exhibere p. 47. Unde Interpres ipsi est, qui verborum sensum elicit, & hoc statuit p. 47. qui legit vel audit verba cum intelligentia: qui iudicio comprehensa verba cum sensu connectit: qui modo ratione sit præditus, ut facere nexum illum possit, qui solâ ratione formatur p. 49. 50. Unde & p. 95. 96. dictatoriè ait: Mihi is est Interpres, qui mente jungit sensum cum verbis, illumque his inesse ex ipsa verborum textura, cognoscit.

II. Atqui non fert usus linguæ Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Belgicæ aut alterius, ut is qui legit vel audit verba aliqua, cum intelligentia, dicatur interpretari illa, vel interpres esse verborum aut libri alicujus, nec Scriptura ullibi sic loquitur: sed is propriè & ex cõmuni usu Interpres esse & interpretari dicitur, qui verba, alteri ignota, non intellecta aut dubia, verbis ipsi intelligibilibus explicat, ut ea intelligat. Qua propriâ & receptâ significatione etiam Autor noster communi loquendi usu abreptus, vocem hanc sæpe usurpat.

III. Juxta hanc verò a se confictam & dictatoriè propositam Interpretis significationem, ipse, in principio libri secundi, cum Exercitatore

citatore